

ANTIQUITATES VARIÆ. 269

enim Arnobius: *Venus nuda formata, & aperta, tanquam si illam dicas publicè divendere meritivii corporis formam.* Quid hoc mirum? excepit DULODORUS, cum tamen, eodem auctore, Venerem Praxiteles ad Phrynes meretricis formam effinxerit? Cnidia tamen illa, quæ primo hic loco occurrit, paulò pudentior videtur, utpote quæ Luciano, imò & statua hodiènum testante, licet nuda conspiciatur, tamen manu pudenda contegit. Secus

VENUS MARINA;



Hæc enim dextrâ protensâ nescio quid præterdit, sinistrâ adhuc concham tenet, quæ Venerem Marinam aperte demonstrat. An Concha hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ex eorum numero est, quæ *Veneræe*, vulgò vocantur? Non est, respondit DULODORUS; Conchæ enim illæ leves fuere, ut patet ex Martiale, Lib. II. Ep. 47.

*Levior à Conchis, Galle, Cytheriacis.*

Plinius earum formam latius describit, Lib. IX. c. 25. ex Mutiano: Muricem scilicet esse, latiore purpurâ, neque asperò, neque rotundò ore, neque in angulos prodeunte rostrò; sed simplice Conchâ utroque latere sese colligente: quibus inhaerentibus plenam ventis stetit navim, portantem nuncios à Perianthro, ut castrarentur nobiles pueri, conchasque, quæ id præliterint, apud Cnidiorum Venerem coli. Plinius de Echineide, subjecit ARCHÆOPHILUS, hoc loco fermocinatur. Imò de hac ipsa Concha Cytheriaca, respondit (L1) 3 DULO-